ARTES HOLLANDICÆ DETECTÆ

Ex particula literarum Sueci cujusdam,

Ad amicum Anglum scriptarum.

Menſe Februario.

1659.

Per

LIBERIUM VERUM.

ANNO M. DC. LIX.

2. Reg. 9. v. 22.

Cùm vidiſſet autem Joram Jehu, dixit Ipſi: Nunquid eſt Pax? Cui Ille: Pax autem? quando Matris tuæ Jeſabelis fornicationes & præſtigiæ quotidie augentur?

Lectori Veritatis Cupido.

VEnit mihi in manus, Amice Lector, hac ipsa horâ scheda quædam, sub nomine Literarum Roterodamo scriptarum (quamvis Roterodamum non vidisse, nisi postquam Londino venerat, pro certo intellexerim) famosi libelli titulo potius insignienda, quæ cùm in Regem Sueciæ Eiusque Ministros & Actiones, quàm acerbissimè invehatur, & Ministri illi Suecici, quos Author ait plurimos in Anglia esse, & negocium Regis sui operosè isthic curare (quòd certè hactenus verum est) otium sibi non sumant, captandi muscas; mihi tamen indignum visum est, tam putidum scriptum & non nisi Hollandico Ingenio dignum, sine aliquo Elogio dimittere: & proinde, quum nihil aliud ad manus haberem, quàm literas Sueci cuiusdam, Privati quidem sed Politicissimi Viri, & Hollandicarum Artium inprimis gnari, quas superiori hyeme, quum de Pace generali tàm ambitiosè laborarent, qui nihil minùs agebant, ex Castris Regiis ad Amicum

suum

ſuum meumq́; in Angliam perſcripſerat, quæ in illis naturam & ingenium Hollandicum depingunt, inde excerpenda & Tibi communicanda duxi, unde, quicunq́; tandem ſit artifex iſtarũ literarum ſive Roterodamenſis ſeu Neuportanus (qui vel ipſo nomine novorum Portitores: ſe oſtendunt, viliſſima Hiſpaniæ mancipia!) partem quoque ſuam ſumere ſibi poſſit. Cætera, quæ in eadem ſcheda continentur, de Bello Polonico, Danico, eorumque ratione, ortu & progreſſibus, quum in dictis literis quamvis longè antea ſcriptis, penitiſſimè quoque confutentur, aliàs, ubi plus otii fuerit ſupplebimus. Interea ſperantes, corvos iſtos ſiniſtra ab Ilice vaticinabundos, ſibi ipſis malum cacaturos, ut quum omne malum Septentrioni cupiant faciantq́; Hollandi, Omne quoque malum ex Septentrione habeant ſibi-ſerventque ſepulchro.

Dabam ex Muſæo meo,
Calend. Octobr.

Veſtrum

VEstrum erit, supremo numini, justissimę causæ manifestis indiciis faventi, manus non subtrahere, sed de remediis statim loquemur, ubi Hollandorum causam, quæ sola supereſt, excusserimus.

Cui autem ego illos potissimum assimilem? Mercurium alatum qui pinxit, expressisse videtur naturam illorum, qui eum sequuntur. Inspiciat cui placet, curiæ Amstelodamensis noviter exstructæ frontispiciũ, & lapides ipsos loqui videbit, de ipsorum Ingenio, Animo, Consiliis, qui cum non ita pridem humiles & devotos se, vos ad Vicinos Reges & Principes se subscriberent, nunc Potentes, Multipotentes, Altipotentes (qui Væ Jovis titulus erat apud Poëtas) & tantum non Omnipotentes Domini audire gestiunt. Verbo totam rem dicam: Commerciorum Domina esse vult Hollandia, ut imperiorum esse possit: id autem quo jure quâve Iniuriâ obtineat, pensi non habet, cum putet; Si violandum jus est, Regni causâ violari posse. Nam quod credita est religionis causam agere, id ipsa negat, nisi cum lucro & scopo suo coniuncta sit, ut cui in nummo præsens Deus, & cum Vespasiano lucri Odor ex re qualibet bonus est, pro quo vel animam ipsam exposuerit, si emptorem inveniat. [a]

[a] Cujus manifestissimum exemplum dederunt Hollandi in Japonia, cujus Comercia ad se unos rapiebant, exclusis Lusitanis, hoc prætextu, quod Christiani essent, Magistrum agnoscentes, qui æmulorum sit impatiens atque omnibus dominari satagat. Unde enata est horribilissima persecutio, contrà Christianum Nomen, quæ millio-

milliones animarum absumpsit. Illi verò, ne quid lucri propter Christum deperderent, quod ex illis partibus ingens habebant publico Diplomate ad malos Navium affixo interdixerunt omnibus eò Commercaturis, ne se Christianos profiterentur, vel usurpando Nomen Christ, aut preces ordinarias, vel ad mensam vel matutinas aut vespertinas usurpando, ubi revera pro Lucello Venales animas circumtulerunt. O mores! ô religionem Hollandicam!

Diu est quod Venetiarum Rempublicam imitandam sibi proposuit, & nescio annon tam exiguo tempore eam superaverit, (nam etiam de loco jam credo contendit) adeò quem ill'inter Italiæ Principes obtinuit, Ipsa inter totius Europæ, de quibus jure meritò Hollandia dixerit, quod Dantiscum de suis Polonis illorum stultitiâ se magnam esse. Et cùm norit, quàm infirma sit potentia, non suâ vinixâ, ac si Aves plumas suas repetitum veniant, corniculam risum moturam timeat; Hinc versatile illud & multiforme Ingenium.

Quàm scite enim primis temporibus cum Regillo Æsopico sub alis vicinarum Aquilarum abscondere se noverat, ne prædæ cederet hæreditariis Vulturibus! Hodiè postquam succreverunt pennæ, & quod dicitur sine Cortice natare didicit, infirmioribus semper se applicat, & potentiorum Alteros per Alteros atterit, ut Adamantes secare videatur: Cuius Consilii ratio in eo est, ut ex aliorum damnis, suo quàm minimo impendio, rem faciat. Ita, quod nuper perlatus Sueciæ fecit contra Daniam, id hodie per Daniæ latus contra Sueciam facit; mox per quemcunque Alium, idem factura contra Angliam. Anglia enim & Suecia sunt, quæ luminibus ipsius potissimum officiunt, & quas illa perinde, ut ut religionis socias, ut ut benefactrices, ut ut sanctis fœderibus sibi junctas, quovis Turca & Tartaro

peius

cius odit, & in odium illarum non dubitat se Dano & Hispano jungere, antiquis & hæreditariis hostibus; resumpturus odia in hos, ubi illos attriverit: adeò ut non tam Danus & Hispanus Nobis observandi sint, quàm ipsa Hollandia, fons & caput malorum! quæ & vires illis addit & Animos inflat, Nobisque ex insidiis nocet, vitalem quasi spiritum lentâ manu surripiens! Hic Equs est Trojanus in sinu latens, à quo si satis caveamus, nihil est periculi foris. In Hollandia debellabimus Austriam atque Hispaniam, tremenda Europæ nomina! Mira dico, sed vera dico. Cæterùm, quin illa in Ordinem redigatur, frustra est, quod Pacem Europæ promittimus. Nemo magis Pacem simulabit. Sed maris Ingenium habet, cuius Dominium adfectat: ubi maximè tranquillum est, tempestas ingruit: Ubi illa plurimùm de Pace movet, Bellum parat, adeò nihil certius est, quam dum Pacem generalem hodie præ se fert, generale Bellum ipsam meditari, nisi sub Pacis simulachro obtineat, quod velit. Commerciis dominari vult, tanquam Animæ Regnorum (hæc enim si habeat, Regna ipsa habet) quod si per Pacem habere non possit, Bellum mavult, ut quovis modo habeat. Non enim Pacem quærit, sed rem suam, quam sæpius in bellis invenit, ut in turbido pisces. Ita olim contra Hispanos fecit, & propterea, qui sapiebant, & quibus Christiana res cordi erat, invitissimè consenserunt in Pacem, & utinam non consensissent. Artes Hispanorum fuerunt nostro malo! quàm primùm enim ibi suspendit retia, inter Evangelicos explicavit.

Subtilissimæ sunt Artes Hollandicæ, quas vix aliquis animadverterit, nisi intimùs rem scrutetur. Quamdiù liberè frui potuit mari Suecico & commerciis ipsorum legem dicere, quod satis diu fuit, Pax erat, Amicitia summa erat.

erat. Suecia enim tota militaris olim, minùs curavit, quæ ad lucrum spectabant. Ergò diu Lubecensibus post Hollandis commerciorum suorum arbitrium fecit: postquam ipsa rebus suis superesse cœpit, ipsa naves fabricare, ipsa rudi materiæ formam inducere, ipsa evehere merces suas, ipsa alias domum reportare, &, ut animi adderentur indigenis, minora ipsis onera imponere, privilegia largiri, societates instituere, atque alia id genus (quis non idem facit, qui potest & sapit extra Sueciam? & quis impedire possit hanc libertatem, quam ipsa natura largitur? nisi fortè soli Hollandi, qui suo Exemplo reliquos docuerunt hanc solertiam, beneficium illud à natura tanquam præcipui jure acceperunt!) ex illo, inquam tempre odia, simultates, querelæ Bella fuerunt, aut cum Hollandis, aut per illos. quicquid sibi non acquiritur, ereptum putant, aiunt, Suecos impedire atque enerare commercia. Utrumque absurdum est. Quis tam injurius sit in se ipsum? nemo odit carnem suam, inquit Scriptura: repugnat etiam ipsi evidentiæ. Nunquam magis floruerunt Suecorum civitates commerciis, tum intra Regni fines, tum in Provinciis innexis, quàm ex quo commerciorum naturam intelligere cœperunt. Sed de suis nimirum, non nostris commerciis loquuntur. est autem, quod in scholis aiunt, Unius generatio Alterius corruptio. quamvis, ut verum fateamur, nondum adhuc licuerit Sueciæ ipsorum dolo suismet commodis plenè frui, sed quod de Rigensibus circumfertur, ipsorum vaccas esse, & Hollandos lacticiniis gaudere, id de omnibus Sueciæ partibus verum hactenus fuit, nisi quod icti piscatores paulatim sapere incipiunt. Ergò quòd Nostratium Ingenia excitamus, neq; tantum Lucelli ex portubus nostris ad Hollandos pervenit, quàm olim, hoc illi vocant impedire commercia, hoc one-

onerare, hoc divertere. In suapte Domo, quid si omni commercio prohibeant Extraneos Sueci (facio eos sibi ipsi hoc damni inferre velle, aut tantum fidere propriis viribus) [b]

[b] Ita enim Lusitani in Occidentali India, Hollandi ipsi in Orientali faciunt, quam tamen non possunt sibi propriam dicere, cum ipsi commercandi in istas Oras libertatem contrà omnes Gentes mordicùs semper asseverint.

aut quid si uni Genti totum concedant, Quis de eo queratur, quis succenseat? Tunè invides, quòd de meo sim liberalis, inquit Salvator? at Hollandi cogere volunt Suecos, ut eandem immunitatem sibi concedant quam indigenis, quæ quidem aperta vis est atque injustitia, quam in victos & liberalitate sua exutos exercere solemus. Hæc ipsa nimirum aut similis ratio fuit, cur Bello Polono se ingererent Hollandi, & inprimis causæ Dantiscanæ! quid enim ad ipsos pertinebat quis imperaret Borussiæ? & annè præstabat Evangelicas Urbes sub Evangelico capite esse, quàm ut vel Austriaco vel Barbaro cederent? quòd si verò libertas commerciorum ipsis tantoperè cordi erat, quidni etiam Rigæ opem ferebant contra Moschum? quem ipsi & quidem Barbarum stimulaverant contra Sueciam, in summū commerciorum & rei Christianæ dedecus ac detrimentum. [c]

[c] Quum enim solemnem Legationem ad Moschum destinarent, Victoriam de Riga ipsi gratulaturi, & literas quoque ad Patriarcham daturi essent, inter Proceres Hollandiæ consultatum est, annè titulus Sanctissimi ipsi tribuendus esset? unde ingenium & Religionem Hollandicam, ut supra in Japonia, liquidò agnoveris.

Ergò non hoc ab illis agebatur. Sperabant, dum Suecum inter & Polonum contenditur, Dantiscum in suas manus perventuram (ut ante hac Embda, quod idem nuper quoque in Brema, Hamburgo, atque aliis tentatum est.) [d]

B [d] Nota

[d] Nota ſunt, quæ cum iſtis Civitatibus & toto illo tractu maritimo in Corpus ſuum redigendo variè egerunt.

aut Succo ſaltem per iſtas anguſtias aliquid iniquarum conditionum extorqueri poſſe, id quod eventus docuit. nunquid enim non omnia ipſis conceſſa ſunt, quæ pro Dantiſcanis ſolicitaverant, an propterea pacem habuimus? num quidnè etiam ipſis abundantiſſimè ſatisfactum fuit, confirmata fœdera, aucta, elucitata, relucidata, & ne ſic quidem ratihabita: non inquam hoc agebant, quin potius indignati ſunt nimiæ Suecorum facilitati, quam non expectaverant, & quum hâc viâ non ſucceſſiſſet, aliâ tentandum cenſuerunt, Danum ad arma ſollicitantes, ut Suecum Boruſſiâ evocarent, vel manentem diſtraherent, diſtractum, ad id quod volebant, quovis modo cogerent. Et bellum quidem ſatis artificioſè hactenus nutriunt, diffiſi enim viribus Danicis (quod tam infœlix Bellum quam iniuſtum eſſe vident) Brandenburgicum transverſum egerunt: Auſtriam & totum Imperium ſtimulant: Ipſi domo ſuâ omnem lapidem movent, ut Sampſonem noſtrum inextricabilibus odiis undiquaque implicent, & ſic vel totius ædificii Europæi ruinâ tandem cooperiant, atque interea ipſi commerciis liberè fruantur ſine arbitris. [e]

[e] Ita enim Beunignus, Oraculum illud Delphicum, ſi Diis placet, fax certè & tuba Belli Danici, Hafniâ nuper conſulebat!

In mediis fluctibus Halcyonia ſua acturi? ne tamen hoc agere intelligerentur, quam primum cœptum fuit Bellum, ad ſolitas Pacis Artes ſerio vultu confugerunt, ſed quam Deus bonè! abſurdis conditionibus! unde ſatis videas, non tam Pacem ipſis cordi eſſe, quam melius intactam conſervare potuerant ante Bellum, quam nunc vulneratam reſtituere, ſed ut ex alienis periculis compendium quovis modo faciant;

ciant : Mediationem quippe suam non offerunt Regi nostro, sed ingerunt, & tanquam necessariam atque inevitabilem obtrudunt, cùm tamen Ipsi, Danici Belli non solum incentores fuerint, sed & consilio atque auxilio eundem Regem quotidiè juvent, quod ut exculatius facere possint, fœdus Elbingense Anno propemodum integro ante hoc Bellum ipsorum met arbitrio nobiscum initum, contra Naturæ ordinem ad futura tempora extensum cupiunt, ne scilicet præstare cogantur ea, ad quæ inibi se obligarunt, & possint, quod solent sub mediationis velamine ludere par impar, ut hinc jam ex effectu ipso appareat, quare ratihabitionem tanto tempore distulerint : adeò dubito, si tandem interponant ratihabitionem, an plus fidei ei haberi debeat, quam ipsi Tractatui, si fortè & illam ad futura facinora extensam velint, imò quam Guarantiæ ipsorum in superiori Bello Danico interpositæ, cum Danus fateatur, ipsorum instinctu se ad arma processisse. Dicant Hollandi per Deum vivum! si frontem habent, dicant, an vel justa causa fuerit Dano vel color saltem idoneus, rumpendæ istius Pacis, & anne sibi militatum sit omne hoc Bellum ? tum, an alium istius finem ipsi habuerint, quam ut exhaustam Sueciam sibi rursùm Vectigalem & tributariam facerent ? [f]

[f] Nam quod aiunt, fœdere se teneri ad auxilia Dano præstanda, quidni potiùs contrà ipsum applicant, cum duplici fœdere & tantum non triplici se obligarint Suecis, antequàm Dano, imò disertè contra Danum, de quo notissima sunt Juris axiomata : Quod specialia Jura derogent generalibus, & qui prior tempore prior Jure, & quod à contractu impunè discedere non liceat, invito Altero, nisi fortè, ut apparet, tàm in contractibus quàm omni alia vitæ parte ambulatoria est imò desultoria Hollandorum voluntas, usque ad extremum vitæ exitum, & cum Richelio sentiunt: No sou schiavo delle mie parole.

Et quamvis hæc omninò pudenda sint, bonique Viri officium evertant, Ipsi tamen non verentur in facie totius Orbis ista exponere, gloriam quasi ex ipsa infamia affectantes, cuius apud prodigos novissima voluptas est, ut Tacitus inquit. Nam & Tertium addunt, nimirum: Pacem generalem simul atq; eadem opera à Sueco cum omnibus ineundam, & hoc si nolit, pro Ethnico & Publicano habendum, ubi ne sciri quidem potest, quid per pacem generalem intelligant, cum non nisi duo particularissima Bella habeamus, cum Dano ac Polono, (de Moscho non loquor, qui est extra Christiani Orbis considerationem) eaque ut tempore, ita naturâ sua quam maxime inter se diversa. Cum nemine præterea Bellum habet Suecia, saltem ipsa nemini declaravit aut intulit, quomodo igitur Pax tractari poterit? Sed volunt nimirum, ut secum etiam & cum Brandeburgico & cum Austria, & si quos præterea nequitiæ socios habent, de Injuriis illatis transigat, nec simpliciter transigat, sed &, quod Jure-Consulti dicunt, vexam redimat Suecia, id est infidelitatis præmium singulis ex suo constituat, cessis nimirum Provinciis tanto sanguine partis, & tam justo titulo possessis, aliisque juribus non minoris pretii. Hoc enim insolvunt obscuris istis loquendi formulis, quando ajunt, Omnia in istum statum restituenda esse, in quo ante Bellum fuerunt, aut sive Bello sive Pace, certa ipsis sit ex Suecis præda. Satinè hæc Amice & Christiane? imò satinè mediatoriè? Sed enim sub hoc sancto Pacis velamine tutissimè latere artes suas putabant.

Quis enim piissimum hoc generalis Pacis desiderium inter Protestantes improbet? quod si nolint Sueci, Quis non dixerit eos bella ex bellis nectere velle, & per Evangelicorum ruinas (Brandeburgicum & Danum credo indigitant tanquam

tanquam illi à Nobis deserti essent, non Nos ab illis) Evangelicam Religionem defendere. Ita fucum Orbi facere gestiunt: ita inprimis Angliam exquisitissimis hisce dolis & calumniis distinere, ut interea negocium suum agant. Nam ne putetis me vana loqui, ipsissimis istis verbis per hos dies Dovvningium vestrum in Hollandia aggressi sunt publici Ministri: quas Sinonias Artes ut agnoscatis & caveatis, per Deum & veritatem vos oramus: mendacia enim, ut ut speciosa sint, pellucent tamen & fucum produnt. Nec cupimus vos causæ nostræ fautores, nisi veritatem nobiscum esse deprehenderitis, quamvis non dubitem, satis id antea vos scire & credere.

Ut totam rem vividissimo colore regeramus Hollandis, Eliæ Historiâ opus est, qui malefactis suis ferocienti Achabo, & superbè roganti; Tunè es ille perturbator Israëlis, ingenuè vereque respondit, non perturbo Israëlem, sed Tu & Domus Patris Tui, dum derelinquitis Præcepta Jehovæ, & sequimini Baalimos. Non Succia turbat Europam, non Bella ex Bellis serit, atq; alieno inhiat, sed unum & maximè necessarium piissimumq; Bellum pro vera Religione, pro sua totiusque Europæ libertate, contra Polonos, quod ferè sæculo abhinc Domi suæ suscepit, id constantissimè & nunquam tacenda laude, quâ licet, persequitur. Sed Hollandia, Hollandia inquam est, quæ cum de suo nihil habeat, non nisi per aliorum ruinas eò fastigii, quo intendit, assurgere potest, & proinde bella quotidiè inter Christianos Principes seminat, ut ex illorum cadaveribus messem suam faciat. Hollandia inquam, cui Victus in dies, imò in horas quærendus est, & cuius hoc demùm proprium est, quod exalienon furripit; quod artis quam fœliciter atq; ingeniosè exerceat, ipsius Thesauri, reliquorum penuria testatur, adeò si

cui

qui Hollandorum conclavia & inprimis Senatum illum Amstelodamensem Beuningio pensionario Draconicas Leges promulgante, inspicere detur, videbit quod ille de Tyrannis inquit, laniatus & ictus, quando ut corpora vulneribus, ita fævitiæ libidine, malis consultis Animi ipsorum dilacerentur, & quod Philippus II. de se ipso olim prædicabat, se plures in cubiculo suo interemisse, quàm Albanus in hostico, id rectiùs Hollandi in se & Opdamium suum, imò omnium hodie belligerantium acies applicaverint, ut qui pro suo jam pridem usurpant illud Vespillonis: Aliorum mors mihi vita.

Sed quid opus est verbis? Anglia ipsa testis erit, respicite circumcircà, quid cum Gallia nuper egerit, quid cum Stuartis, quid cum Hispano in Vestri præjudicium, imò quid in medio vestrorum hodieque! quam blandè vobis insinuet venena sua! Quam paulatim supplantet commercia vestra. Libertatem, consilia in Hispanos, concordiam inter vos ipsos! & quid non? advertite, inquam animum, & ad Lydium veritatis lapidem examinate ipsorum actiones, Verbisque meis plenam fidem habebitis. adeò dubitare non potestis, quin Hollandia vicinam Angliam obliquis oculis semper intueatur, non solùm, ut maris Dominam & luminibus suis officientem, sed & veterem Patronam, exprobrantem beneficia sua, quæ ubi multùm antevenere, ut Tacitus

inquit,

inquit, pro gratia odium redditur; dum, quam Elisabetha Ipsi dederat Reipublicæ formam, OLIVERIUS non eripuit, quum posset, & debuerat toties ingratæ Clienti metuens, ne forte adhuc in Posteris faciat. Semper enim, quod quis meruit, timet, quem quisque timet, odit, quem odit, periisse expetit: Quod Delphis dictum vobis putate, ac nisi præveneritis, seris Posteris dolendum scitote. Hactenus de malis Europæ, ejusque Turbatoribus, &c.

FINIS.